

D I S S E R T A T I O

INAUGURALIS MEDICA

EXHIBENS

**GENERALIA de FUNGIS
VENENATIS,**

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

**PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
SPECTABILIS DOMINI DECANI,**

NEC NON

CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE OBTINENDA

IN ALMA AC CELEBERRIMA

**REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE
HUNGARICA**

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

Elias Oesterreicher,

Vetero-Budensis.

In theses adnexas disputabitur in

PESTINI,

TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS.

SPECTABILI, CLARISSIMO,

AC DOCTISSIMO VIRO

**Car. Jos. Franc. X.
Böhm,**

MEDICINAE DOCTORI

IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE

HUNGARICA

MEDICINAE POLITICO-FORENSIS

PROFESSORI PUBL. ORD.

TESTIMONIUM VENERATIONIS

SUMMAE ET GRATITUDINIS

DEVOTUS AUCTOR.

De fungis venenatis Generalia

CAPUT I.

De signis fungorum venenatorum.

Fungi venenati qui objectum nostrae Dissertationis constituunt, ad duas amplissimas familias naturales plantarum Mycetoidearum spectant; ad *Hymenomyctas* et *Gastromyctas*, quae simul sumtim sensu stricto pathologico, medico et diaetico Fungi veri nominari solent.

Differunt familiae haec praeter formam praecipue conditione sporidiorum: haec in *Hymenomyctis* in thecis seriatim disponuntur, quae in superficie variarum partium v. g. lamellarum, plicarum, aculeorum etc. nidulantur; huc *Amanita*, *Agaricus*, *Boletus*, *Hydnum*, etc. In *Gastromyctis* vero sporidia congregata integumento (Peridio) inclusa sunt, huc *Lycoperdon*.

Salutares et deleterii effectus fungorum in usum diaeteticum conversorum omni aevo chemicos ad examinandam materiam nutrientem et venenosam incitarunt, hos inter excellunt Galli

Braconnot et *Letellier*, quorum priori detectionem principii novi *Funginae*, alteri accuratissimam et novissimam analysim fungorum debemus.

Partes constitutivae fungorum secundum *Letellier* sunt sequentes.

1mo. Aquae multum

2do. Substantia fungorum nutriens, quae his formam et consistentiam largitur hinc illorum basim constituit. Habebatur haec substantia per cel. *Vauquelin* pro peculiari fibra vegetabili, in specie fibrae lignae modificatione; a cel. *Braconnot* ob distinctivos characteres ut pars constitutiva sui generis considerabatur et *Fungina* nominabatur.

Obtinetur voluminosa haec substantia decoctione fungorum in aqua paucò alcali mixta et sistit massam albam, mollem, parum elasticam, insipidam, destillata ammonium largientem, acido solum nitrico, hydrochlorico et alcalibus concentratis mutandam. *Fungina* exsiccata comburitur sub odore panis tosti cum residuo cinerum albidorum. Praeter ammonium sub destillatione largitur oleum empyreumaticum.

3. Substantia peculiaris, *Bassorina*, ulterius examinanda.

4. Albumen, calore et alcoholè coagulabile.

5. Substantia pinguis et oleosa.

6. Substantia azotica, alcohole solubilis, per *Vauquelin* cum ozmazomio comparata.

7. Substantia azotica, alcohole insolubilis.

8. Sacharum verum, id est in alcohole soluble, crystallisabile et fermentationis capax.

9. Acidum fungicum in pluribus fungis per *Braconnot* detectum, liberum v. basibus: potassae et calcariae junctum: Acidum hoc excolor, incristallisabile, exsiccatum facile deliquescit. Aliud acidum: *boleticum Braconnot* in *Boleto pseudogniario*, fungo *coriaceo-suberoso* non comestibili, detexerat; coit hoc in crystallos tetraedras et solvitur alcohole facilius quam aqua; sublimatum vix mutatur et ab aliis acidis eo maxime differt, quod oxydum non item oxydulum ferri e solutionibus praecipitet colore ferrugineo.

10. Gelatina

11. Cera.

12. Substantiae resinosaev. variaev.

13. Acida vegetabilia: aceticum, benzoicum.

14. Sales qui pro basi potassam aut calcariam tenent.

15. Principium peculiare, facillime exsiccatione, ebullitione, maceratione cum dilutissimis

etiam acidis, alcohole et alcalibus destructibile. Hinc est, quod fungi tam facile et cito caloris, lotionis repetitae et triturationis ope odorem et saporem fere ex integro amittant.

16. Principium deleterium, venenosum a chemico *Letellier Amanitina* propterea adpellatum, quod ex Amanitae speciebus facile et in majori copia sisti possit. Principium hoc solubile est in aqua et liquidis multum aquae tenentibus, non autem in aethere. Destillatione et exsiccatione fungorum in minus alta temperatura non destruitur, non crystallisatur, reagentibus non decomponitur aut praecipitatur; cum acidis sales crystallisabiles format. Odore et sapore se non prodit. *)

E recensitis facile patet, fungorum substantiam componi materia nutriente multa, ob contentum azoi, principio nutriente animali simili; sed multos quoque fungos continere substantiam venenosam deleteriam vix nisi effectu cognoscibilem, ob negativos characteres difficillime via chemica adinveniendam; hinc nos omnino criterio chemico facile et cito adplicabili carere, quo fungos venenatos agnoscere valeamus.

*) M. E. *Descourtils* des champignons comestibles suspects et vénéneux. Paris 1827.

Consuetum erat, fungos scopo diaetetico dispescere in comestibiles et venenatos; cum tamen plurimi nec comestibiles sint, nec venenati, igitur, cum in usum recipi nequeant, fungos potius in *comestibiles* et *non comestibiles* dividimus; *priores* porro in *salubres* et *perniciosos* dispescentes. Cum effectus fungorum venenatorum, ut paulo infra videbimus, omnino deleterii sint, et auxilium medicum promptissimum expetant; omni aetate in eo adlaboratum fuit, ut characteres tales adinveniantur, quibus salutare a venenatis facile distinguerentur.

Ut superius ostendimus, characteres chemici, alioquin nec cito nec facile applicandi, parum lucis suppeditant.

Idem valet de criteriis physicis, quae parumper ducibus *Ascherson* *) *Descourtils*, *Hayne* **) *Persoon* ***) et *Lenz* ****) examini subiciemus.

Jam veteribus fungorum venenata natura nota erat, ut plura ab hac illorum qualitate nomen

*) *M. Ascherson* de fungis venenatis Berolini impensis Schüpel 1828

**) *Jos. Hayne* Gemeinnütziger Unterricht über die schädlichen und nützlichen Schwämme. Wien. 1830.

***) Abhandlung über die essbaren Schwämme von *C. H. Persoon* überseht von *J. Dierbach*. Heidelberg 1822.

****) Die nützlichen und schädlichen Schwämme von *Dr. Harald Othmar Lenz*. Gotha 1831.

derivaverint *) et signa invenire studuerint, quibus noxios ab innoxiiis discernere possint. *Plinius*, *Nicander*, *Atheneus* et alii scriptores aevi antiquioris haec signa a loco natali, colore, mutatione in coquendo et genere receperunt.

Summa notarum, quibus fungos venenatos omni aetate discrevere eruditi et vulgus, sequens est:

1. Color.

a) Nigrescens, lividus, viridis; sed *Polyporus frondosus* et *Agaricus flavovirens* sapidissimi sunt.

b) Amoenus et variegatus; hic tamen in edulibus *Amanita aurantiaca*, *Boleto aurantiaco* et *Russulae* speciebus passim obtinet.

c) Mutabilis; non officit hic quo minus *Agaricus subtomentosus* in Austria in deliciis habeatur. **)

d) Carnis mutabilis color; ast qualitas haec plurimis fungis comestibilibus propria, sic *Agaricus lactifluus*, et *deliciosus* viridem, *Boletus*

*) Fungos, quod suo veneno vescentes ad funus ducat *Theophrasti Eresii* historiae plantarum Libr. IX.

**) *Trattinnick* esbare Schwämme. Wien 1809.

scaber nigrescentem, Boletus luridus coeruleum induit post discissionem mox colorem.

2. *Odor fortis ingratus*; obtinet tamen in sapidissimo *Polyporo Juglandis*.

3. *Sapor acris*, is omnibus fere lactifluis innoxiiis proprius, sic quoque

4. *Lac acre*, quod plures *Agaricorum* species fundunt signum veneni incertum praebent.

5. *Forma*.

a) *Stipes*, cavus v. basi bulbosus; qui tamen adest in *Morchella esculenta* et aliis.

b) *Pileus squamosus v. verrucosus*, qui adest in edulibus *Agarici* speciebus: *solitario*, *procero* et *polymyce*. Similes exceptiones locum habent in fungis reliquis.

6. *Locus natalis*.

a) Ad radices et truncos arborum; exceptio in *Agarico polymyce* et *ostreato*.

b) *Opacus, umbrosus, humidus*; sed plurimi nostratium edules sylvatici sunt; venenati contra in locis apertis, aridis, arenosis degunt.

7. *Mutatio in coquendo*.

a) *Cum allio*.

b) *Cum argento polito*, in utroque casu colorem naturalem dicunt mutari in nigrescentem,

si fungi venenati sint; mutatio tamen haec ab aliis qualitatibus quam veneno fungorum dependet et v. g. etiam in ovis coctis obtinet.

8. Fungi pro venenatis praedicantur, qui ab animalibus in specie ab insectis non attinguntur, in escam non convertuntur; sed non adest in hoc casu justa conclusio ab animalibus ad hominem; cum probe notum sit, vegetabilia certa homini innoxia animalibus deletaria esse; et contra talia dari, quae ab animalibus citra noxam devorantur, et homini necem inferunt.

9. Consistentia valde mollis et durior coriacea vel cartilaginea jam ex eo criterium veneni in fungis praebere non valent, quod fungi similis consistentiae alioquin in usum diaeteticum converti non soleant.

Physici igitur characteres etiam insufficientes imo fallaces sunt ad distinctionem fungorum noxiorum et innocuorum; nil restat amplius quam ut ad bonas et fidas descriptiones botanicas, et ad icones et ectypa fungorum e cera parata confugiamus, qualia v. g. *Wittmann* et *Trattinnick* Viennensis in usum publicum obtulerunt. Necesse adhuc nobis videtur, ut doctrinae de fungis venenatis et edulibus major, quam huc dum locum

habuit, attentio praebetur; super his publice in Universitate et Academiis praelegatur, et ii potissimum probe instruantur, qui rebus in foris dividendis inspiciunt. Optandum ante omnia, ut fungorum patriorum in specie edulium illorum, qui in foro pesthiensi ac budensi vendi solent, et noxiorum circa has urbes crescentium descriptio et iconographia in commodum publicum procuretur.

CAPUT II:

De fungorum venenatorum effectibus.

Quod effectus fungorum venenatorum attinet, optime exposuit *Ascherson* in dissertatione praemio ornata, hunc hic sequemur.

Varia symptomata quae esu horum fungorum oriuntur, praeter gastrica, quae jam sequi possunt, ubi edules majori copia ingesti erant, in duo genera dividi possunt. Aut enim inflammationem vel saltem irritationem tubi alimentarii vicinarumque partium indicant, aut vehementem impetum in systema nervosum. Haec primas agunt, ubi vis veneni subito ad centrum nervosi systematis pervenire potuit, illa ubi irritatio nervorum ventriculi et tubi intestinalis reactionem

vasorum vel universalem vel localem movit. Itaque fungi modo ut venena narcotica modo acria agunt, saepe autem utriusque generis symptomata simul adparent. Sunt autem irritationis et inflammationis symptomata:

Calor, dolor, tumor, aliquando etiam gangraena labiorum, linguae, faucium, ventriculi, tubi intestinalis denique, vomituriatio, vomitus, tormina, diarrhoea cum tenesmo, salivatio, urina et alvus cruentae, haemorrhoides, pulsus parvus durus, frequens, sitis insueta, febris.

Symptomata laesae nervorum functionis: nausea, angor, dyspnoea, asthma, strangulatio,*) tremor, convulsiones, spasmi, singultus, epilepsia, errores sensuum, dilatatio pupillae, Amaurosis, vertigo, deliria blanda et furiosa, stupor, apoplexia.

Cadaverum extispicia detexerunt signa inflammationis et maculas gangraenosas in toto tubo alimentario, pulmonibus, diaphragmate, pleura aliisque membranis, quas serosas vocant, ventriculis cerebri et menyngibus, vesica urinaria,

*) „Symptoma princeps veterum scriptorum, vel Dioscoridis materia medica IV. cap. XXIII. Galen. de aliment. fac. quae res mihi relationem quandam inter venenum fungorum farciminumque indicare videtur.“ Ascherson l. c.

utero et foetu ipso (in muliere quadam gravida), turgorem pulmonum et venarum imi ventris, sanguinem modo rarefactum (ut in muliere modo memorata) modo coagulatum, contractiones ventriculi et intestinorum tam vehementes, ut in his membranae inspissatae canalem occluderent. Praeterea cutem maculis violaceis obtectam, conjunctivam oculi sanguine farctam, pupillam contractam invenero.

CAPUT III.

De veneficii curatione.

Ignota adhuc in fungis praesentibus, natura veneni chemica de antidoto stricte tali sermo esse non potest; hinc tutissime et optime cura evacuatione causae veneficii inchoari potest. Fit hoc per emetica et cathartica, optime per emetocatharsim. Cel. *Orfila* refert in plurimis casibus methodum purgantem solam suffecisse. Praestat omnia haec remedia jam ideo in paullo largiori dosi propinari, cum vi narcotica fungorum incitabilitas ventriculi et intestinorum fere semper diminuta sit. Post evacuationem symptomatum peculiaris ratio habenda est; praesentibus inflammationis signis methodus antiphlogistica plus v.

minus rigoresa adhibenda; cum sanguinis evacuationibus usus demulcentium, oleosorum etc. conjungendus. Peculiariora in casu veneficii per fungos remedia hucdum laudata sunt sequentia. Ammonium, Acetum, Sal culinaris, Aether vitrioli, et aqua frigida.

Ammonium a veteribus usitatum secundum experimenta gallorum initio plus nocuit quam profuit.

Acetum qua antinarcoticum post evacuationem saepissime profuit, ante hanc autem, ob solubilitatem principii deleterii in hoc liquido, veneficii symptomata auxit.

Sal culinaris, et Aether vitrioli ex eadem causa ante evacuationem materiae peccantis saepissime nocuere.

Aquae frigidae usum unicus hucdum medicus Cel. *Krapf* in se ipso cum effectu prospero instituit. —
